

Qua visitatione peracta, iter proseguens, eadem die divertit ad conventum fratrum Minorum Reformatorem loci Alziprati, ubi hospitium paraverant; atque eodem [344r *en marge* 1766] die visitavit ecclesiam dicti conventus et sanctissimo Eucharistiae sacramento populum benedixit.

[...]

Die 26 celebrata missa in eodem conventu, perrexit ad terram Calenzanae dictae Sagonensis dioecesis. Post prandium, praecedentibus canonicis et praesbiteris et frequenti populo concomitante, ordine publicae supplicationis, perrexit ad visitandam ecclesiam collegiatam Deo in honorem sanctorum Blasii et Restitutae dicatam. Omnia cum solemnitate ibidem persolvit habuitque ad populum sermonem. Visitavit ecclesiam, quam mundam, amplam marmoribusque ornatam deprehendit. Quare laudavit summopere diligentiam reverendi sacerdotis Paschalis Bianconi praepositi, qui ob illorum temporum acerbitatem, cum munus suum, qua decebat, animi libertate exequi non posset, sponte se dignitate et praepositura abdicavit. Haec collegiata septem canonicis coalescit, praeposito unica dignitate, et duobus beneficiatis; nuper fundata cum suppressione praepositurae, seu melius, cum illius redditus divisione. Hoc etiam in loco animarum curae aliquid detrimenti obvenit ab huiusmodi institutione. Ob reddituum tenuitatem iam canonicos taedebat assidui chori servitii ac paulo post supplicem libellum porrexerunt Summo Pontifici ut ad nonnullos in hebdomada dies reduceret.

Familiae 380. Sacerdotes 36. Duo subdiaconi. Animae 1600. Annuus redditus 2500, quorum tres partes ad praepositum [345r *en marge* 1766] spectant, reliquae ad canonicos et beneficiatos.